

V  
C  
3729





h. 326, 21.

Vc  
3729

PROPOSITIO,  
Quam S. Cæs. Majestatis


Legatus &c: ad Correspondentes &c: 24

Novembris (4 Decembris) Anno

1619. Norimbergæ tam verbis,  
quam, scriptis  
fecit,

Una cum Resolutione, seu Responione Unitorum  
Correspondentium Evangelicorum Regis, Electorum,  
Principum. & statuum &c: Eisdem Cæsareo Lega-  
to 28 Novembris (8 Decembris) vicissim  
& verbis & scriptis Iuri

Ex Germanico in Latinum in gratiam Italo-  
rum, Gallorum, Polonorum, aliorumq; linguae  
Germanicæ ignororum fideliter  
translata.



15.2.50.1

OPERA  
S. PETRI AVGVSTINI  
ARCHIATRI ET BOTANISTI

BIBLIOTHECA  
PONICRAVIANA

UNIVERSITATS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

# 3 PROPOSITIO CAESARIAE M. T. LEGATI

## Propositio Cæs. Majest. Lega.

ti Exhibita Correspondentibus Norimbergæ 24.

Novembris styl. v. et 4 Decembris

styl. nov. Anno 1619.

**P**oste aquam Caſareæ, Regiæq; Majestati de-  
Conventu in Ejusdem Imperiūq; Civitatē  
Norimberga Electarum, Principum, statu-  
um, & equeſtris ordinis Hominum, nec mi-  
nus absentium Legatorum & nunciorum  
relatum est, nihil aliud inde conjicere potuit, quam quod  
congregatio iſta ob præſentes in Imperio Germanico  
motus, & in eiusdem Cæſ Majest. Regno Bohemiæ ad-  
huc glſcentes turbas ſuſcepta fuerit.

Cum autem eius Cæſ Mai. una ad animum revocari, it  
quam magnæ diſſenſiones plerisq; in locis irruperint, &  
altas radices apud nonnullas status egerint, quas malignis  
hiſce temporibus quidam inquieti & pacis oſores variis  
prætextibus & detortis interpretamentis fovere, & alere  
ſatagunt: ſui officii eſſe existimavit, tanquam electi & co-  
ronati ſupremi Romano Germaniā Imperij capitis, o-  
mnibus modis id agere, ut quæſitæ cauſæ, & perversæ per-  
ſuafiones, quibus odia, & rixæ inter Imperii membra ex-  
ſuſcitare mtur, quantum eius fieri potest, tollerentur, &  
inde provenientia incommoda, atq; pericula præcide-  
rentur.

Ideo in hunc finem Legato ſuo clementiſſime præ-  
cepit

A 2

4

cepit, ut Cæs Maiest. nomine præsentes Electores, Principes, ac Status, & absentium Legatos atq; nuncios de pacifico eius animo & intentione quam optimè certiores redderet, omnibusq; ac singulis verbo Cæsareo confirmaret, Maiestatem eius in introitu Regiminis Imperatori nihil antiquius habere, quam ut Concordia inter Imperii Status redintegretur, & universalis quies, & pax in Germaniam reducatur, & conservetur.

Quam ut consequatur, serio secum constituisse omnem impendere operam, tantum abest, ut quemquam gravari velit, sed multo magis, cuiuscunq; Dignitatis & conditionis in Imperio sit, neminem non in suis juribus, præminentibus, & Privilegiis tueri, Imprimis Religionis Pacificationem, & pacem publicam, ut etiam alias Imperii ordinationes ac statuta inviolabilia præstare, & ante hanc in medium prolatis queremoniis & gravaminibus adjuvante divina gratia quamprimum ex æquo & bono mederi. Quo ipso speret, & confidat, Maiestati eius intactam laudabili & proficuo proposito Electores, Principes, & Status Imperii auxiliatrices manus non denegaturos, aut falsis, & fictis Imaginationibus sese seduci possuros esse, quibus tam magna, & excellens res præpediri, & in Romano Imperio maiores tumultus, quam proh dolor oculis intuemur, excitari, imò ipsum Imperium pessum dari, & funditus everti queat.

Quod verò in specie motus Bohemicos attinet, arbitratur Cæs. Maiestas, non solum ex literis, responsionem quidem haec tenus exspectantibus, quas ad nonnullos nuper Rotenburgi congregatos Electores, Principes, & Status ex Francofurto sub dato 10. Septembris dedit,

sed

Prin-  
cios de  
certio-  
o con-  
mpera-  
inter  
& pax  
  
isse o-  
nquam  
atis &  
ribus,  
gionis  
os Im-  
& an-  
inibus  
bono  
cius in  
cipes,  
turos,  
ssuros  
, & in  
dolor  
essum  
  
t, ar-  
onsio-  
nul-  
cipes,  
dedit,  
sed

etiam ex brevi & vera Informatione eo tempore typis  
Francofurti impressa & publicata sole clarius liquere,  
quam iniquè cum eius Majest. agatur, dum frivolis ratio-  
nibus eius inobedientes subditi in Bohemiā transgressio-  
nes suas excusare conantur. Siquidem in prædictis lite-  
ris & Informatione reperire est, quod eius Cæs. Majest:  
mox in principio, quamprimum Antecessor eius divæ  
memoriae vitâ functus est, realem possessionem & usur-  
pationem Gubernationis Bohemicæ apprehenderit, &  
ut legitimè electus, publicatus, coronatus, unctionis & in-  
vestitus Bohemiæ Rex demortuum subsuscitus fuerit.  
Ubi non tam Bohemiæ statibus, quam omnibus in uni-  
versum declaravit, quanto pacis & sinceritatis amore fla-  
graret, dum omnia præsticit, ad quæ vi & vigore Rever-  
salium tenebatur, contra quos etiam Reversales nihil un-  
quam quidquam adhuc vivente Antecessore attentavit,  
quemadmodum Bohemi falsò criminantur. Quin Cæs.  
Eius Majest. sæpiissimè adversus Bohemiæ status in scrib-  
tis protestatam est, senullo modo exitio huius regni quod  
vix esset, ut, si bella internecina continuarentur, non  
metuendum sit, delectari, sed potius animo suo agita-  
re, & voluere, ut quietem Regnum ingredieretur. Gu-  
bernationem pacificè inchoaret, omnia sanaret, singu-  
los defenderet, & Gravaminibus, ut deceret, satisfac-  
ret, paterna hac sæpiusq; repetita commonefactione  
addita, ut in testificationem obedientiæ debitæ armæ,  
quæ prius arripuerint, deponerent. Qui si obsecun-  
darent, non minus idem Cæsareæ Majest. facturam  
esse, & amicabilibus tractationibus locum reli-  
eturam,, Et in huius rei fidem extemplo militi-  
bus indi-

bus indixit suis, ut tantisper ab omni hostilitate abstine-  
rent, idq; prætensis Bohemiæ Directoribus significari jus-  
sit, quemadmodum quoq; Comes de Bucquoy Bohemi-  
co exercitui præfectos eo de negotio certiores reddidit.  
Cæterum tantum abest, ut prædicti Bohemici status,  
quemadmodum merito Cæs. Majest. speraverat, huic tam  
Candidæ & paternæ adhortatini ob salutem patriæ, &  
multorum malorum evitationem, quæ postmodum sub-  
secuta sunt (quæ tamen jam deplorant, & culpam in Cæs.  
Majest. falso rejiciunt) dicto audientes esse voluerint, &  
ita exortum incendium antequam latuis grassarerur, &  
altius insurgeret, in ipsis quasi cineribus suffocare con-  
cupiverint, ut potius neq; armorum suspensionem ac-  
ceptarint, neq; in amicabiles tractationes consenserint,  
sed majores hostilitates exercuerint, & Cæsareum exer-  
citum durante cessationis edicto armata manu invase-  
rint, & oppresserint. Quinimo Cæs. eius Majest. nulla re-  
sponsione dignati fuerint, & in pervicacia, atq; obstinati-  
one sua ad hodiernum usq; diem perstiterint, multisque  
aliis modis exorbitaverint, adeo ut omnia recensere vel-  
le nimis molestum futurum esset.

Et tametsi prædicti, ac præfracti Bohemii hanc ipsorum  
Rebellionem Religionis pallio & colore contegere, & fu-  
care conantur: perspicuum tamen est, & nemini incog-  
nitum, quod in tota hac materia Religio nunquam inter-  
venerit aut à Cæs. Majest. adversus eam quidquam admis-  
sum fuerit: cuius rei gratia eadem Cæs. Majest. præsen-  
tes Electores, Principes, Status, & Dominorum Legato-  
rum Principales firmiter credere jubet, iisq; integrè &  
sincerè promittit, quod etiam futuris temporibus nihil  
quidquam innovare in Religione velit, aut concessionis  
bus ab antecessorib<sup>9</sup> suis, vel literis Majestatis detrahere.

Quin

Quin si fortè quid apud proximè defunctum Cæsarem,  
non satis hīc observatum sit, alieno propterea facto Maje-  
stas eius prægravari non debet, multo minus Bohemis,  
aut aliis convenit, ideo eius Majestati diffidere.

Et ex his, quæ modo breviter, & verè narrata sunt,  
Præsentes Electores, Principes, & Status, nec non ab-  
sentium Legati, & Nuncii Cæsar. Majestatis Can-  
dorem, & animum pacificum satis perspicere, &  
juxta ipsis manibus palpare possunt, utrum Majest. Eius  
Cæs. in Bohemicis istis motibus sine læsione & detrimen-  
to Authoritatis Regiæ plus concedere debuerit, vel po-  
tuerit, & cui parti culpa & causa subsecutorum, quæ eius  
Cæs. Majest. non leviter excruciant, malorum, ac dam-  
norum, posteaquam ad Cæsaream Armorum Depositi-  
onis oblationem sana consilia respuerunt, transcribenda  
sit?

Quapropter Cæs. eius Mayestas præsentes & con-  
gregatos in hoc loco Electores, Principes, Status, ac Nun-  
cios quam clementer & paternè adhortatur, & rogat, ut  
propositam & perceptam tam sinceram, cor datam, ac fi-  
delem sententiam, atq; declarationem altius in animos  
demittant, eiusq; Cæs. Majest. verbis, ac promissionibus  
citius ad stipulentur quam aliorum male sanis suspicioni-  
bus, & Informationibus, imprimis neq; à Bohemis, neq;  
ab aliis adversus Majest. eius sese commovere patientur,  
sed eò potius actiones & deliberationes dirigant, quò  
obedientia supremo & à Deo ordinato Magistratui debi-  
ta honosq; illibatus persistat, & ulteriora mala evitentur,  
quæ in continuatione istorum motuum in Cæs. eius  
Majest. Bohemiæ Regno contra voluntatem quidem, sed  
necessariò fermè insequi oportet, præterquam quod  
inde jurati Christiani nominis hostis commodam occa-  
sionem

Quin



sionem nanciscatur , quæ non nisi in Romani Imperii  
eiusq; membrorum summam perniciem si non in extre-  
mum exitium cedere potest.

Quod uti ipsa æquitas postulat, & Cæsarea Maiestas  
eò præfentes Electores, Principes, & status, nec non  
Dominorum Legatorum Principales sua sponte propen-  
dere non dubitat, ita facilem eiusmodi, benignam, &  
obedientiam testificationem pro uniuscuiusq; statu &  
conditione amicè, gratiösè, & clementer deinereri non  
obliviscetur,



## Correspondentium Respon- sio Cæsareo Legato data.

Norimbergæ 28 Novembris (8 Decembris)

Anno 1619.



Uod nomine Cæsareo Majestetis &c: Domini  
nostrí clementissimi, Illustris & Generosus  
Dominus Johannes Georgius, Comes ab Ho-  
hen Zollern, Cæs. eius Maiest. à Consiliis,  
Camerarius, & Dicasterii Aulici Præses, tam  
verbis proposuit, quam scriptis etiam postea exhibuit, id  
Regia Dignitas, & Principes Correspondentes, Electro-  
rum, Principum, ac Comitum Legati, nec non libera-  
rum Imperii Civitatum huc amandati Consiliarii, &  
Nuncii eò brevibus intellexerunt, & perceperunt, Quod  
poste-

posteaquam Cæs. Maj. de hoc Unitorum correspondentiū statū conventu ob præsentes absq; dubio in Imperio Germanico motus, & in Bohemiæ Regno adhuc gliscen-tes turbas indicto certior facta fuisset, & ad animum re-vocasset dissidia illa inter imperii status in veterata, quæ malis informationibus & suspicionibus à Pacis Osoribus foventur, & alerentur, sui officii esse existimaverit, in eiusmodi casibus vigilare, & id agere, quò quæsitæ tales causæ, & perversæ persuasiones, quibus odia exfuscita-rentur, tollerentur, & præciderentur. Quapropter eum in finem Legatum suum huc misisse, qui suæ Majest. no-mine præsentibus statibus & Absentium Nunciis Majest: Eius pacificum animum & Intentionem significaret, & demonstraret. Hinc Majest. Eius Cæsareo verbo confir-mare, quod nihil antiquius habeat, quam ut pax & Con-cordia inter Imperii status plantetur, & conservetur. Mul-to minus ullum gravari velle, aut cuiquam præjudicium creare, sed omnes & singulos in juribus, & Privilegiis suis tueri, imprimis Religionis pacificationem, & pacem pub-licam defendere, aliosq; Imperii ordinationes, & statuta inviolabilia præstare, & una sæpius propositis gravami-nibus quamprimum ex æquo & bono mederi. Quo ipso spe bona nitatur, Majestati eius in tam laudabili proposi-to Eletores, Principes, & status Imperii auxiliatrices ma-nus non denegaturos, aut falsis imaginationibus sese se-duci passuros esse, quibus Cæs. ejus Maj. impediri, & in Ro-manico Imperio majores tumultus, immo ipsius Imperij ex-cidium & ruina excitari quæat.

Secundò quod Cæs. ejus Majest. hucusq; in Bohemia continuatos processus brevibus & summaria relatione repetat, ubi si quid tempore demortui Imperatoris Mat-thiæ non satis observatum, quod literæ Majestaticæ, &

B

Conces-

concessiones aliae requirunt, illud tamen moderna Cæs. Majest. præstare non debet, aut alieno facto prægravari.

Quocirca præsentes status, & absentium legatos rogare, & petere, ne sese à Bohemis, aut aliis adversus Cæs. Majest. commovere patientur, sed eo potius actiones & deliberationes dirigant, ut ulteriora mala præcaveantur, quæ alios necessariò essent exspectanda. quemadmodum latius in Legati propositione tam verbis quam scriptis facta videre est.

Ad quæ ab initio Cæs. eius Majestati præsentes Uni-ti Rex, Principes, & Domini, & absentium statuum Consiliarii, & Nuncii pro renunciata salute in oralí propositione devotas, & submissas gratias agunt, cum voto pro Cæs. eius Majestatis incolumitate, & prosperis successibꝫ. Deinde negotium ipsum, & caput rei quod attinet, respondent, rectè Imperatorem censere, quod conventus hic propter ruinosum, & miserabilem Imperii statum celebretur, ubi Correspondentes non aliò collimant, quam ut pro obligatione, & nexu, quo Imperio obstricti sunt, pro salute huius, Authoritate, & Honore tam apud peregrinos, quam indigenas eurent, & vigilent. Ideo etiam non gaudere non possunt, cum vident, supremum caput easdem cogitationes agitare, quandoquidem nullum aliud medium & Magnorum, & Parvorum Imperiorum conservandum est, uti complura exempla evincunt, quam Capitis, & membrorum Harmonia. Quo ipso in opere fuerunt, ut per Legatos suos Cæs. Majest. sese declararent, & una ad literas Cæs. eius Majest. quas Rottenburgi acceperunt, cum citius fieri non potuerit, responderent.

Quod ergò Cæs. Majest. mox in introitu Regiminis,  
postea-

posteaquam vidit,in quantis dissidiis utriusq; Religionis status in Imperio verientur,cogitationes suas eò contulit,ut omnibus malis occurreretur,& competens medicina applicaretur,adeoq; fons,& scaturigo ipsa ex qua haec ten<sup>o</sup> rixæ illæ,& animorum distractiones profluxerunt,sicuti in propatulo est,obstrueretur,hoc est,gravaminibus satisfacere cupit,id Evangelici Correspondentes Rex,Ele<sup>c</sup>t<sup>o</sup>res,Principes,& status,utpote quorum magna pars hucusq; multa culit,& passa est,nec minus alii adjuncti & confœderati status,qui partim facto,partim timore pererno distinebantur,&lædebantur,magna cum lætitia,& debita,ac humili gratiarum actione agnoscunt,& optant,ut tam amplis,& splendidis promissionib<sup>o</sup> ac verbis exitus & facta,de quibus nihil ambigunt respondeant.

Et sanè omnino ita est,quod Cæsarea Maiestas tam ex veteribus,quam recentibus Imperii actis & actitatis,imprimis ex iis,quæ in Comitiis Ratisbonensibus Anno 1613.gesta sunt,percipere potest,Evangelici status ultra 40.prope annos semper conquesti sunt,quod Religio<sup>n</sup>is pacificatio,&pax publica laboraret,nec minus justitia non debitè administraret,& contra Privilegia,jura,immunitates statuum passim ageretur.Quod ut corrigeretur,Cæsaribus Romanis,& maximè Rudolpho,& Matthiæ novissimis non raro per legatos,literas,& alios modos licitos,nec sine multo sumptu supplices facti fuerunt.De quo testari possunt omnium in universum Evangelicorum statum Legationes Anno 1591.1602.1609.susceptæ,ut silentio prætereatur,quod in diversis aliis Comitiis anno 1582.1594.1598.1603.1608.1613.Denique in Consilio Anno

1615. peritum fuit, ubi Correspondentes status in literis quibusdam ad Cæs. Majest. ditis sub dato 11 Februarii regarunt, ut Cæs. eius Majest. laudatissimi Imperatoris Ferdinandi exemplum imitaretur, & pacificos status in Romano Imperio tanquam arbitros & Interpositores deligeret, qui sine affectibus omnia dijudicarent, & si possibile, dissidentes componerent.

Quod si fieret paratos esse Evangelicos, ita se submittere, ut Cæs. Majest reverâ intelligeret, quanto pacis, concordiæ, & æquitatis studio ex animo verè & sincere Germanico arderent.

Ecquidem correspondentes Evangelici Rex, Electores, & status non dissidentur, quin prope in omnibus eiusmodi Legationibus, & Comitiis Romani Cæsares promiserint, & in se susceperint, omnibꝫ querimoniis & gravaminibus fidem imponere, idq; etiam haut inuiti credunt, quod nimium laudabilis eorum Intentio eò directa fuerit: tamen semper obstatula quedam & impedimenta, imprimis in novissimis Imperii Comitiis Anno 1613. intervenerunt, in quibus Divæ memoriae Imperator Matthias non solum Majest. eius, sed etiam universo Imperio detrimentosis hisce rebus mederi benignam, & magnificam spem fecit, & quidem per antehac in Imperio usitata & consueta media, ac modos, cuius gratiâ quoq; in amicabilem compositionem & transactionem, ab utriusq; partis statibus consensum, certumq; tempus, & locus destinatus, & mox iuterdictum fuit, saepiusq; iteratum, tantisper processus illos præjudiciales, & intollerabiles executiones suspendere. Verum enim uero effectus subsecutus non est, & Romani Catholici status tam durante Imperii diæta, quam etiam postea, uti patet ex Memorialibus eius Majest. ideo exhibitis se, opposuerunt,

fierunt, & partim ipsi famosis libellis cum Privilegio in provinciis suis typis exscribitis, partim etiam alii in Aula Cæsarea Ministri & officiarii obsticerunt, quo minus gravamina illa per promissam Compositionem dissoluta fuerint, donec Cæsarea eius Majestis satis concessi.

Proinde cum haec ita sint, & Romani Catholicus status mox post obitum Cæsaris milites conscribserint, peregrinum quoq; Exercitum in Imperium induixerint, & adhuc dum ab eorum parte militares præparationes fiant, facile Cæs. Eius Majest. inde colliget, quod justam causam Evangelici status diffidendi, & se quoq; munendi habeant, cum aliæ ne unicum ipsi quidem militem conduxissent.

Cum autem sæpius mentionata Cæs. Eius Majest. profiteatur, quod Religionis pacificationem, & pacem publicam observare, idq; sic Correspondentes interpretantur, quemadmodum hucusq; facis sufficienterq; deduxerunt, & ostenderunt, & gravaminibus, quæ tam diu perpetui, mederi velit, quæ quidem gravamina ita se habent, ut eorum sublatio partim in Majest. ejus manibus & potentia unicè sita sit, partim inter utriusq; Religionis status versentur, nectamen hoconus, cuiusmodi existat, Correspondentes status diutius ferre vel queant, vel ve-  
lint: Ideo Cæs. Eius Majest. præsentes Correspondentes, & absentium Legati ac Nuncii devotè, & humilimè ro-  
gant, & obsecrantur, quoniam multis ab hinc annis Justi-  
tia per nimis dilatata in & extensam Aulæ Cæsareæ Juris-  
dictionem valde labefactata est, ut ab initio pro Authori-  
tate, ac potentia sua Dicasterium Cæsareum ita in futu-  
rum ordinatum sit, ut in eo nullæ causæ, quæ vel Religi-  
onem, vel pacem publicam, vel statuum Imperii Privile-  
gia, jura, immunitates, vel ordinationem Cameræ, quan-  
tum per eam lœduntur, & ubi in plerisq; nulla transacti-

one indigent, acceptentur, & ventilentur, multo mi-  
nus in ejusmodi Processus decernantur, sed statibus Im-  
perii Austregarum Privilegia permittantur, nec contra  
ea Commissionibus odiosis in Religionis ac negotiis ci-  
vilibus prægraventur, quibus eis appellandi beneficium  
cuivis alias vel minimo in Imperio subdito competens  
adimitur: Inhibitiones & avocationes eorum causarum,  
quæ in Imperiali Camera Spirensi, vel Principum aulis,  
aliisq; aliorum statuum judiciis pendent, omittantur: in-  
quisitiones in Evangelicorum statuum bona Cameralia,  
& periculosa, ac præiudiciales aureæ bullæ interpreta-  
tiones, & declarat ones tollantur: imprimis in juribus  
succedendi in Electoratibus, Ducatibus, Comitatibus, &  
Dynastiis, aliisq; imperii constitutionibus fundamentali-  
bus, uti etiam sine discrimine hactenus in cæteris intolle-  
rabilia imperii statibus Conservatoria aboleantur: judi-  
cium provinciale in Suevia, quo liberi status imperio  
eximuntur, & Landfassii efficiuntur, non amplius, uti  
hucusq; factum, extendatur: statibus Imperij investitio-  
nes non impedian tur, aut in diputationem trahantur,  
multo minus antiqua investiturarum forma immutetur:  
Executiones extra circulos, & peregrinis non commit-  
tantur: in gravibus imperij, & magni momenti causis, ma-  
xime quæ ad Electorat⁹ Principat⁹, Comitat⁹, & Dynastias  
prætentia spectant, nō nisi cum scientia, & voluntate utri-  
usq; Religionis statuum agatur: Cæs. Maj. Judicium Auli-  
cum secundum Cæsareā Capitulationē constituatur: De-  
nijq; Urbs Donaverda secundum q; Imperatores Redol-  
phus, & Matthias promiserunt plenē & integrè restitu-  
tur: omniaq; & singula ita ordinentur, ut im posterum in  
ejusmodi oneribus status Imperii nō magis graventur, sed  
ubiq; in omnibus Religionis & Civilibus causis uti etiā re-  
bus fiscalib⁹ Justitia sine respecte vel Religiōis vel persona-  
rum æquabiliter administretur: Quem in finem consul-

tum foret, ut Cæs. Maj. ordinationem illam aulici Judicij ab Imperatore Martia conceptā quemadmodū aliis, ita & Evangelicis comunicaret, eiusq; ad censurā copiā faceret.

Quod autem secundo loco attinet ad gravamina, quæ inter Evangelicos, & Romanos Catholicos hinc inde versantur, spe bona nituntur Evangelici, Cæs. Maj. Catholicos status eò disposituram esse, quemadmodum ipsi Correspondentes eos per suos legatos itidem adhortabuntur, ut demortui Imperatoris, & modernæ Eius Cæs. Majest. promissionibus ac voluntati absq; consuetis eff. giis, quæ nihil aliud, nisi omnia extrema, & sanguinis profusionem secum trahunt, se libenter accommodent, imprimis ab iis primitus & sine ulla data occasione arrepta arma depontant. Quod si fiet, & unâ militum quotidiana conscribtiō omittetur, & peregrinus ac parvū Evangelicis favens exercitus in Romanum Imperium contra Imperij constitutio-nes & Cæsaream Capitulationem inductus exterminabitur, id quod sumōperè à Cæs. eius Maj. & reverentiā cum debita contendunt: tunc ita Cæs. Majest. animos suos pacis ac quietis studiosissimos manifestabunt, ut ipsis in rerum experimentis perspiciat, per se se nunquam stetisse, quo minus constans & perpetua pax, atq; Concordia in Imperio stabiliretur. Ideo etiam sibi firmiter persuadent, Cæs. Majest. & quod ipsa, & eius Antecessores multoties verbis promiserunt, reipsa demum esse præstituram quo utrobiq; diutius societas & amicitia res florescat, patriaq; nostra charissima ab interitu, & excidio vindicetur: Sin minus, omnisq; spes deinceps præcidatur de melioribus, & adversaria pars repugnare perget, Cæs. eius Majest. non sinistrè interpretari debebit, q; si Correspondentes Uniti stat<sup>2</sup> negotiū hoc Deo tanq; justo judici comiserint, & hui<sup>9</sup> divina assistente gratia omni jure concessam defensionē aripuerint. Ut silentio involvatur incomoda, quæ in C. M.

foliè

ulto mi-  
bus Im-  
contra  
otiis ci-  
eficium  
npetens  
nsarum,  
n aulis,  
tur: in-  
neralia,  
pretati-  
juribus  
tibus, &  
mentalii-  
ntolle-  
r: judi-  
mperio  
lius, uti-  
estitio-  
hantur,  
utetur;  
ommit-  
sis, ma-  
ynastias  
ite utri-  
n Auli-  
ur: De-  
Rudol-  
estitua-  
rum in-  
tur, sed  
etiā re-  
ersona-  
consul-



fortè exundatura essent, ubi omnis securitas deficeret; de quibus utiq; malis neminem etiam nisi illos aliquando rationem reddere oportebit, qui libentius passionibus suis, & affectibus indulgere, quam Imperii pacem & tranquillitatem procurare voluerunt.

Statum in Bohemia quod attinet, uniti & correspondentes Principes ac status principium ac progressum eius cum dolore semper & commiseratione intellexerunt, idq; eo magis, quoniam Regnum istud tanquam præcipuum Imperii membrum ex Evangelicis per literas Majestaticas, quas Rudolphus Imperator largitus est, in Religionis pacificationem suscepimus est, eiusq; Bohemi participes facti sunt. Ubi constat, quod multi cordati viri, ac Regni Cives sana & pacifica consilia contulerint, & imprimis suaserint, ut in initio oblatæ Interpositiones, quas sese acceptare velle non semel correspondentes professi sunt, non rejicerentur, sed omnibus modis promoverentur. Ita etiam post obitum Divi Matthiae non contemnenda occasio rebus providendi & medendi adfuit; verum cur neglecta fuerit, & consilia bellica paci præposita, disputare hic non est opus.

Quin & non convenit hīc sententiam ferre super hinc inde scriptis & publicatis informationibus. Durum interea, & grave est, quod tanta armorum præparatio fit, & Imperium Romano Germanicum milite peregrino repleatur, de quo valde ambiguum est, an Cæs. Majest. vires tantæ sint futuræ, ut Imperii statibus nullum inde periculum timendum sit: adeo ut longe major assecuratio requiratur, ne tandem belli sedes in meditullio Imperii collocetur, cum adhuc oculis exempla recentia observentur in Bohemia & Austria cum milite Passauensi, & extraneis aliis aliunde inductis. Quocirca Evangelici culpandi

¶

culpandi nō erunt, si in ejusmodi turbulentis temporib⁹,  
& ubi Romani Catholici exordium fecerunt sibi vicissim  
caveant, & pro se atq; provinciis, & subditis suis solliciti  
sint. Ubi profecto, si casus incidat, & ullus ex Evangelicis  
hostile quid ab aliis experiretur, maximè Regia Dignitas  
in Bohemia, & ante omnia in Palatinatu, quocunq; etiam  
prætextu illud fieret, alter alterum vigore & vi Imperii  
constitutionum, & affinitatum mutuarum defendet, au-  
xilijsq; sociis suppetias feret.

Et ita præsentes Correspondentes Rex, Principes &  
status, & absentim Consiliarii & Nuncii Cæs. eius Maje-  
statem devotè, & humiliter orant, ut in toto hoc Bohe-  
mico negotio eò actiones & consilia dirigat, quò ex illo  
Imperium Germanicum, cuius præcipuum membrum,  
ut dictum, Regnum Bohemiæ est, non amplius turbetur,  
simulquè credat, Correspondentes status neutiquam per  
sinistras informationes transversum rapi. Ubi sibi itidem  
persuasum habent, Cæsaream Majestatem se non nimis  
credulam exhibitaram iis hominibus, qui Imperio malè  
cupiunt, & peregrinis Principibus magis, quam Cæs. ejus  
Majest. adhærent, sed potius fidem habituram tot Electo-  
ribus, Principibus, & statibus Imperii, cum illorum ani-  
mus ac voluntas non alia sit, quam ut tumultus, & rixæ  
disseminentur, & hæretici putativi extirpentur. Id  
quod Correspondentes præsentes Rex, Principes, & sta-  
tus, & absentium Electorum, Principum, & Comitum,  
nec non liberarum & Imperialium Civitatū Nuncii Do-  
mino Cæsareo Legato, cui suas gratias, & devota servitia  
offerunt, responsionis loco dare voluerunt. Signa-  
cum Norimbergæ 28. Novembris

Anno 1619.

F I N I S.  
C



Tu Pater, & Princeps Patriæ quicunq; vocaris,  
 Si Princeps, fer opem, dilige, si pater es.  
 Si commissa tuæ sunt curæ jura tuorum,  
 Justitiæ custos protege jure tuos.  
 Amplius at juri nullus si sit locus, eius  
 Desertum introeant arma parata locum.  
 Principis, atq; Patris sic verè nomen habebis,  
 Cum Jure, atq; armis tempus utrumq; reges.  
 Candida pax leges, sed bellum postulat arma,  
 Horum, illarum unus finis, at impar amor.

F. G. C. W.



21





H 3779 GK

nc

**ULB Halle**  
004 808 371

3



V017




h.326,2.



Qu  
Lega

Una  
Corresp  
Prn

Ex Ge  
rum



## KODAK Color Control Patches

LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

atis

24

rum  
orum,  
eg-

Italo-  
guæ

